



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 30. De mirabili Alfonsi Barsenæ & Emmanuëlis Ortegæ transvectione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

Arminius  
& Graus in  
Brasiliam  
renavigant.

Fidei urbem se recepit, quā urbe solitis Societatis officiis procuratā, cum eodem socio, non diu pōst, in Brasiliam renavigavit. At Ortega, Saloniūs & Fildius, non il-libenter Peruanis Patribus (donec Generalis Præpositus super cā re consultaretur) se adjunxerē. Franciscus Angulus Thomām Fildium & Joannem Saloniū ad Sancti Jacobi urbem secum abduxit. Alfonsus Barsena Emmanuele Ortegam socium, Apostolus Apostolum accepit: quocum relictam tantisper in Cordubensi agro fal-cem mirabili proventu receptum ivit.

CAPUT  
XXIX.  
Cordubensis  
ditio ab Al-  
fonso Bar-  
sena & Em-  
manuele  
Ortega uti-  
liter excur-  
ritur.

Bis mille &  
quingenti  
baptizantur.

Indorum  
Corduben-  
sium condi-  
tio.

Sociorum  
arumba.

Inedia.

CAPUT  
XXX.  
De mirabili  
Alfonsi Bar-  
sena & Em-  
manuelis  
Ortego  
tranvia-  
tione.

Emmanuelis  
Ortego mi-  
rabili vi-  
sio.

**E**RANT tum ditionis Cordubensis Indi partim Ethnici, partim sacro initiati fonte. Illi magna ex parte, novis servitiis & morum pravitate feroce, exterritum imperium rebellando renuebant. Hos (si nomina Christiana demeres) vix ab Ethnici, deficiente Catechesi, distinguueres. Utrosque aggressi Pātres per abrupta montium, per sylvarum invia, nullo belligerā gentis metu, fame totam regionem depopulante, reclamantibus Hispānis, certum adiri mortis periculum afferentibus, quaquaversum longē latēque Christi nomen prædicatum ibant; tanto successu, ut præter innumerabilem turbam confessione expiatam, bis mille & quingentos Ethnicos baptizarint, mille & quingenta paria pellicatu implicita legitimo vinculo conjuxerint, obvios omnes ad Christi amorem inflammatre dicendo con-tenderint. Quibus in rebus patrandis, quot labores exanthilarint, non facile est compendio complecti. Cordubenses Indi in cavatis subterrā cavernis, nullo eminente supra terre superficiem tecto, uni ab aliis longē remoti, domiciū vivunt: itaque, ut cuniculi, indagandi erant, priusquam erueres; eruti magnitudine beneficiorum obruendi, ut te audirent; audire non ruenentes, plerumque perinterpretes ob varietatem linguarum edocendi erant. Ea omnia præstiterē socii, sāiente hyeme, cœlum pro tecto, humum pro lecto habentes, adeò tenui vieti, ut quā plūfculos dies numeratō viginti quatuor grana tritici pro omnī cibo ad aquæ potum tantum adderent; quo tritico omnino deficiente, quinque solidos dies, præter Corpus & Sanguinem Christi, nihil penitus ori admoverunt. Et utrique absque dubio moriendum erat, n̄ cœlum utilissimos homines mirabili modo conservasset, res sic fœle habuit.

**E**MMANUELI Ortego fame jam propè enecto Alfonsus Barsena, aliquamdiu per acto consulo Deo, mandat, ut paulo post mediam noctem, sacrificio peracto, ad Hispani hominis villam, quinquaginta fermè leucis distitam, annona ergo ieret; se, cūm Catechumenos baptizasset, propè sequiturum. Ortega ægrè se avelli ab optimi Pattis latere certo mortis in peticulo sinebat, nam præterquam quod ob diurnam famem vix jam reciprocaret animam, non ignorabat, per abruptissima loca, & per regiones ferocissimas, Hispanoqué nomini infestissimas, sibi iter faciendum. Expiatis tamen totius vita noxis' jubenti parentum potius quām oblitandū censuit. Vix iter eques capessiverat, cūm equus, in quo ibat, volare sibi visus est: sic per belligeros, & mortem in occursu minitantes Indos, protegente ubique Numine, incolumis evasit. Sub medium diem defectissimis viribus ex equo tantisper desiliens, in somnis cœlestia ostenta incredibili animi voluptate vidit, quibus ad majora pro Christo audenda & toleranda mirum in modum confortari sensit. Denique resumpto equo, quamvis in trajectu paludis casu se totum madefecisset, paulo post meridiem eo, quo discesserat die, Hispanorum villam ingressus, comperit undecim horarum spatio octidui iter se fecisse. Re cognitā, Hispani Europæum hominem cum Indorum comitatu & commeatu in expeditis equis ad Barsenam mittunt: vix miserant, cūm ipse Barsena alia viā ore hilari candem villam ingrediens, Ortegam & Hispanos duplicato miraculo attonitos salutat. Miraculi fidem auxit Europæus ille, qui ad Barsenam missus, post duodecim tantum dies rediit, affirmans in itu & reditu se quām citissimè iter semper confecisse. Igitur pro miraculo Deo gratia æcta sunt, cui non difficilis est per Angelum trans-portare Abacuc in lacum Ieronum, quām Danieli persimiles viros transportare in domum panis.

CAPUT